

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


Dissertatio Theologica De Terrenis Christo Posthabendis

**Pfaff, Johann Christoph
Kapff, Johann Melchior**

Tubingae, 1718

VD18 11507241

[urn:nbn:de:bsz:31-130435](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130435)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

657/23

DISSERTATIO THEOLOGICA

29 = 7

DE
TERRENIS
CHRISTO
POSTHABENDIS,

Quam
ΣΥΝΘΕΣΙΣ

ET

PRÆSIDENTE,

JOH. CHRISTOPHORO
PFAFFIO

S. S. Theol. Doctore. & Prof. Publ. Ordin.
Ecclesiæ Tubingensis Decano, ac Illustr. Sti-
pendii Superattendente,

habebit

M. JOH. MELCH. KAPFF. Botwariensis.

S. S. Theol. Stud. & Ser. Stipend:

Ad diem XXII. Julii M DCC XVIII.

H. L. Q. C.

TUBINGÆ,
Literis JOH. CUNRADI REISII.

1718

PRESENTATION THEOLOGICA

TERRENTIS

CHRISTO

POSTHABENDIS

ZYNON

FRATRE

JOH. CHRISTOPHORO

PEAFFIO

S. S. Theol. Doctor & Prof. Publ. Ordin.

in the University of Halle

in the Faculty of Theology

JOH. SEBASTIANUS KAPF

in the Faculty of Theology

in the University of Halle



PROOEMIUM.



Citè Augustinus Quæst. LXX^v. in N. Test.
*Quicumque sic habet facultates suas, ut spem in
 illis non habeat, paratns autem sit profide illas
 abjicere, viam ambulat, quâ itur ad Christum,
 Dominum nostrum.* T. IV. f: m: 749. d. Hanc
 calcavit viam & Abram, dum ad Dei nutum
 patrias linqueret ædes, Gen. XII. 1. & Mose,

dum propter Christum opes Ægypti neglexit. Eb. XI. 26, &
 Paulus, qui ut Christum lucrifaceret, omnia alia ceu damna
 despexit ac *ουβαντα*. Phil: III. 8. Quin & omnes fideles, qui
 spe æternorum bonorum temporalia damna levabant. Eb. X. 34.
 Christus enim summum est bonum & super omnia amandum,
 omnibusque, quæ nobis aliàs charissima, præferendum. Matth.
 X. 37. 38, cujus quoque regnum *πρωτον* quærendum, Matth.
 VI 33. Quisquis verò deperit mundum, amore Dei vacat. I.
 Joh: 11: 15. uti tenacitas à Christo avertit & Juvenem, Matth.
 XIX. Nos Historiam illam impræsentiarum enucleabimus, ut
 terrena cœlestibus esse posthabenda dispalescat. Summum
 Numen ex infinitis Gratix suæ thesauris cona-
 tum dicit atquelocupletet!

A 2

Matth.

Matth. XIX.

ŷ. 16.

FActâ ŷ. 14. mentione regni cœlorum, de hoc aliquis præsentium peculiarem mox movet quæstionem: Et ecce unus, non ille *νεμικης*, Luc. X. 25. sed dignitate *ἀρχων*, princeps suæ familiæ, Luc. XVIII. 18. ætate Juvenis, forte dives ŷ. 22. accedens poplite flexo. Marc. X. 17. ait illi non tentandi gratiâ ut ille legisperitus, Luc. X. 25. sed serio salutis æternæ studio, quale & Juvenes decet. Pl. CXIX. 9. Coh. XII. 1. 1. Joh. II. 14. Magister Bone, pro Bono Christum Doctore Juvenis habuit, pro ipso autem Deo non agnovit, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam, qua quæstione laudabile vitæ æternæ desiderium declaravit, Sadducæus enim non fuit, errorem tamen prodidit eumque judaicum, quod vitam factis consequendam supposuit, æquè ac ille Act. XVI. 30.

17.

Qui Christus dixit serio, non tamen absolute, uti Act. XV. 10. sed ad hypothesein legulei præsumptionibus pharisaicis innutriti legaliterque interrogantis: quid faciam? ŷ. 16. respondit quoque legaliter, & sic dictum hoc est legale, pro prætensione Dei & *κατ' ἀδελφότητος*, ei tantâ perfectionis præsumptione præoccupato, v. 16. 20. quid me vocas bonum? *Ipsa hæc Christi verba satis apertè docent, Christum titulum tantum, utpote soli Deo competentem repudiasse*, inquit Crellius lib. I. d. Un. Deo Pat. Sect. II. c. II. fol. m. 30. b. At ab increpatione & correctione ad negationem N. V. C. Interrogationes enim non semper negant sed quandoque increpant, limitant, &c. Ruth. I. 21. Pl. L. 16. Luc.

Luc. VI. 46. Hinc Christus hoc potius dicere voluit: Quid me //
vocas bonum, quem esse διὰνθρωπον putas, aut me vocare bonum //
define, aut θεάνθρωπον esse fatere. Quin imò supercilioso Juveni
 humilitatis exemplum præbere Magister voluit, cum infinitè
 bonus sit, boni tamen titulum negligendo, nemo est bonus
θειωδής & αγαθός, nisi solus Deus, qui communicavit qui-
 dem bonitatem creaturis, sed non illam à se infinitam, nedum
 infinitam gloriam. Jes. XLII. 6. si vis ad vitam ingredi
 per opera, de quibus quæris, serva mandata. Sic respon-
 dit Christus ad rem & quæstionem legalem legaliter leguleio ex
 lege confundendo & humiliando, non ut modum adæquatam
 assequendæ salutis præscriberet, sed ut hypothesein juvenis per
 deductionem ad impossibile convelleret, morboque ex lege
 Rom: III. 20. VII. 7. demonstrato, desiderium Medici Matth.
 IX. 12. Gal. III. 24. in ipso excitaret. Sic & Hilarius i. h. I:
Hunc ex lege insolentem, sollicitum de salute Christus ad legem, ut
in eâ ipsâ in quâ gloriaretur, intelligeret, nihil se exinde recti operis
fecisse, verbis enim legis ei Dominus respondit, sed adolescens tan-
quam populus insolens & glorians de lege confidit, cui tamen obsecu-
tus in nullo est. Nec non Ambrosius lib. VIII. in Luc. *Glorian-*
ti in lege, quod à juventute suâ omnia custodisset, ut inanem ja-
ctantiam ejus exponeret, ostendit ei adhuc deesse quod legis est. Et
ideò ad Misericordia præceptum tristis inducitur. Tom. V. f. m. 117.

18.

Dicit Juvenis prædives ei Christo quæ? Videtur hæc
 quærere Juvenis, vel quia tanta est præceptorum copia at-
 que differentia, vel quia à Jesu novo Doctore nova quoque
 præcepta expectabat JESUS autem dixit. Latroni fa-
 cinora sua confesso paradysum promisit, Luc. XXIII. 41, 43 sed
 Juveni propriæ Justitiæ præsumptione turgido inculcat Magister
 A 3 legem

legem & quidem secundæ tabulæ, siquidem tabulæ primæ obedientia aut in cordis affectu aut in Ceremoniis ferè consistebat. Cordis affectus non apparebat, Ceremoniis & Hypocritæ incumbebant. At opera secundæ tabulæ talia sunt, ut per ea & Dei dilectionem contestemur 1. Joh. IV. 20. uti Prophetæ quoque quæties ad pœnitentiam vocarunt, omisâ primâ tabulâ, misericordiam & æquitatem urserunt. Nec hoc modo præterierunt Dei timorem sed ejus feriam probationem à signis exegerunt. *vid. Balduin. in Zach. VII. 9. 10. p. m. 1537.* Ita & Leguleio dicere Christus voluit: Si vis salvari per opera, hæc lex docet injungitque sequentibus: **Non committes adulterium**, quâ voce omnem prohiberi *in tabularum* vult regula bonæ interpretationis, quæ docet 1.) ex simili simile colligere, ut est fornicatio. Matth. XV. 19. Gal. V. 21. vel 2.) ex minori majus, si adulterium enim vetitum est, quantò magis Sodomia? vel 3.) ex effectibus causas, si adulterium est prohibitum, E. & omnes ejus illecebræ. Vel 4.) ex specie genus, si adulterium est vetitum, E. omnis quoque impuritas. **Non facies furtum**, Propria itaque possidere Christus non prohibuit, sed in certo tantum casu dilargiri jussit, y. 21. **non falsum dices testimonium**, ne quidem æquivocando.

19.

Honora reverentiâ, obedientiâ, & si opus, alimoniâ patrem & suppariter matrem. Licet numerus Præceptorum Decalogi cardinalis tertus sit. Matth. XXII. 40. ordinalis tamen, quo, quodnam sit quartum, sextum, septimum octavum &c. designatur, non esse canonicæ auctoritatis, constat ex frequenti illorum transpositione. Ex. XX. 14. Deut. V. 18. Matth. V. 21. 27. 33. Marc. X. 19. Rom. XIII. 9. Jac. II. 11. & diliges affectu, ore & effectu proximum tuum opis tuæ indigum

gum, etiam inimicum, Luc. X. 37. æquè, verè, sincère & constanter, Matth. VII. 12. sicut teipsum. Colophonis loco ex Lev. XIX. 18. additur summa legis, uti sæpe post partes ponitur totum, I. Cor. X. 32.

20.

Dixit illi Adolescens falsò quidem ἀνυποκρίτως tamen, aliàs Christo haud fuisset dilectus. Marc: X. 12. omnia hæc, quæ lex præsertim quoad civilem & externam præcipit justitiam, custodivi à juventute mea, ex quo ad rationis perveni usum, quid adhuc ad vitam æternam mihi consequendam deest. Certe multum ipsi adhuc defuit. Marc. X. 21. salutaris Christi notitia ψ. 17. & dilectio super omnia ψ. 22, hinc ultimus evasit vitæque æternæ cassus. ψ. 24. uti ipsum factus, falsi, tenacitatis &c. arguunt quoque Basilius, Chrysostomus, Hilarius, & Augustinus, Præsertim Irenæus lib. IV. ad ψ. Hæres: C. XII. f. m: 242: *ille cum dixisset: omnia feci, & forte non fecerat, nam utique non diceretur ei: custodi præcepta.* Et Hieronymus J. h. 1: *Mentitur adolescens. si enim hoc, quod positum in mandatis: diliges proximum tuum, sicut te ipsum; opere compleisset, quomodo postea audiens, vade, vende quæ habes, tristis recessit?* Tom. IX. f. m: 57.

21.

Ait Jesus uti responderat ψ. 27. ad quæstionem, sic nunc κατ' ἀνδρωπον & ad personam interrogantem. Ei tanta jactanti opera, ψ. 20. Fuit ergo non tantum consilium, aliàs transgressio non fuisset damnifera. ψ. 23. sed personale præceptum ac exploratorium, uti & id, Gen: XXII. 2. Uti vero naticidii mandatum Abramo datum non perinde obligabat omnes, sic nec quod Christus juveni dixit, omnibus dictum, nisi in simili

li

li casu Divinæ gloriæ officine, Luc. XII. 30. nec omnes homines sunt animo, quo juvenis fuit, hâc præsumptione, hâc tenacitate, si vis esse in hâc vitâ perfectus, illa hîc perfectio innuitur, quæ requiritur ad obtinendam vitam æternam, v. 16. adeoque non major quàm lex poscit, sed illa ipsa, quæ præcepti est universalis. Matth. V, 48. Deut. XVIII. 13. cujus præcepti econtra non est venditio omnium, citra hanc enim perfecti dantur. 1. Cor. II. 6. Phil: III. 15, vade & ut in apricum ponas, quòd me diligas supra omnia, vende omnia, quæ habes &, quia non sufficit non malè agere, sed opus quoque est, ut & benefacias, da pauperibus uti redimendis impendisse captivis sua omnia Paulinus Nolæ Episcopus legitur apud Lud. Viv. in lib. I, c. 10. August. d. Civ. Dei. T. V. f. m. 51. 52. Talis tamen opum remotio non dicit h. l. præcise actum ipsum externum, utpote possibilem & hypocritis 1. Cor. XIII. 3. & infidelibus, Crates enim omnia projecit in mare, unde Augustinus: *Utilius opulencia humiliter retinetur, quam superbè relinquitur.* T. III. f. 1. n. 1069. E contrario nec Apostoli ipsi sunt elargiti pauperibus omnia, sed retinuerunt *2a 2da v. 27.* nec Monachi sua dant pauperibus, sed secum in Monasteria deportant. Nihil itaque Christus h. l. magis à juvene opulento poposcit, quàm animum & abdicationis & elargitionis promptitudinem, quæ perfectionis tamen forma non est, sed summi in Deum præcipientem proximumque egentem amoris tantum symbolum. Præcepta enim affirmativa non semper ad actum obligant, nisi implendi necessitas adsit, aut commoditas, e. g: de alendis parentibus, si se. egeant ipsi, tuque possis. & habebis, vi nullius meriti sed hujusce promissionis, thesaurum in cœlis contradistinctum cuius thesauro in terris, vitam puta æternam, Matth. VI. 20. Luc. XII. 33. Alii thesaurum cœlis

lis contradistinguunt, ut eliciant Gloriæ gradus, quibus Pater misericordiarum sua in cœlitibus dona coronabit, & veni omnia mendicis elargitus sequere me, non dicit, *in Monasterium* sed in humilitate & regni prædicatione. Luc. IX. 60. Sequela hæc fuit præcepti, discessus aliàs non fuisset culpatus, *ψ. 22. 23.* Ex quibus omnibus patet, Christo id fuisse propositum, ut juvenem justitiæ legalis typho inflatum imperfectionis suæ convinceret, argumento ex occultâ ejus tenacitate petito, quâ laborare ipsum *Καρδιογνώσις* quàm profundissimè perspexerat.

22.

Sequitur insignis catastrophe, nam cum audisset autem Juvenis delicatus verbum satis durum mandati de omnibus relinquendis & sequendo unicè Christo abiit quo ipso facto ostendit, quòd nec sua abnegare nec Deum super omnia diligere cogitet, sed universam se servasse legem falsò jactarit, tristis tam improvise Magistri responso ceu fulmine percitus. Tantum verò dolorem cepit partim ex pudore, quòd tantas fuerat res falsò professus, partim ex desperatione, quòd à se impetrare non potuit, tantuli perfectionem emere inque cœlis thesauros, unde & Augustinus in ep: LXXXIX: *Tristis abcessit, qui viderit, quemadmodum illa legis mandata servaverat, Puto enim quòd arrogantius quàm verius servasse responderat.* Tom. II: f: m: 407. & in ps: L LIV: *Tristis recessit, quia ille liber: vende omnia & thesaurum habebis in cœlo; dulcis est in ore, & in ventre amarus.* Tom. VIII: f: m: 395. a. erat enim non tantùm habens sed & contra ps: LXII. II. amans bona multa. Satis itaque largam eleemosynis præbere materiam potuissent, at Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

23.

Jesus autem Juvenem nullo ampliùs verbulo, quotùm

B

rcvc

revocaret abeuntem, dignatus dixit discipulis suis, hoc ipso etiam Juvenis exemplo tenacitatis damna docturus Amen dico vobis rem verissimam eamque gravissimam quòd dives adeò affixus opibus. Marc. X. 24. difficulter δύσκολον hujus loci, mox. ψ. 26 dicitur ἀδύνατον, intrabit regnum cœlorum. Accesserat enim Juvenis cum haud mediocri legis studio, vitæque æternæ desiderio Jesum, ab ipso inde compari amore exceptus. Marc. X. 21. nihilominus φιλαργυρία adeò prævaluit, ut illâ vel solâ retractus omnes in cœlo neglexerit thesauros. Sic posteriora sæpe pejora sunt prioribus. Luc. IX. 62. Gal: V. 7.

24.

Et iterum aliis quidem verbis repeto & dico vobis ne de re illâ dubitetis quicquam, esse non tantum difficilem sed & impossibilem *In Talmud.* enim per proverbium dicitur: *Tam non potest hac res fieri, quàm Elephanta acum pertransire nequit;* Drusius lib. I. Obs. C. I. facilius est Camelum, κάμηλον habetur in græco & jumentum illud gibbosum ferendis oneribus destinatum h. l. intelligitur, ab Ambrosio in Luc. XVIII. T. V. f. 138. Hieronymo in Jes. LX. 6. T. V. f. m. 227. b. & Augustino q. q. Evang. lib. II. c. 47. T. IV. f. m. 360. Uti redditur quoque à Syro, Arabe, Æthiope & Persâ apud Ph. Pfeifferum pec. Disp. j. h. l. Alii quidem rudentem cum Cyrillo intelligunt per hanc vocem, quæ verò κάμηλον scribitur, si funem notat nauticum. Quinimo majore ad transeundum per foramen acûs ἀδύναμία in tanto est jumento, quàm in remulco, qui in tenuia resolutus filamenta adhuc facilius posset per foramen acus transire. Juxta Cajetanum Hierosolymis portula fuit foramen acus dicta, per quam camelus non nisi deposito onere flexisque

xisque genibus transnigrare potuerit. Quoniam verò nullum illius vestigium in Historiâ occurrit, id ceu fabula à Nicolao Lyrâ dudum fuit explosum. Præstat itaque h. l. propriè foramen capere, quod acus vel habet vel facit, cum tali enim foramine scitè confertur porta illa angusta in cœlum, Matth. VII. 14. sicuti vicissim cum camelo dives tumidus, quod ipsi divitiarum moles oneri magis quàm usui est. **quam divitem divitiis, illius Juvenis ad instar, affixum Marc. X. 24. intrare in regnum cœlorum.** Sensus est hic, nullo modo divitem juveni illi similem, quamdiu talis, & onus id non deponit, hoc est, iis confidere Deoque diffidere non desinit, salvari posse. conf. Coh. V. 12. Matth. XIII. 22. 1. Tim. VI. 9. VI. 17. Quantum certe damnum, exclusio sc. à regno cœlorum, contemptum arguit præcepti, non consilii tantum Evangelii neglectum.

25.

Auditis autem his uti supra ψ . 10. offensi Discipuli, qui pro regularum suarum jacturâ integrum expectabant regnum & quid non? ψ . 27. Marc. X. 28. **Obstupuerunt valde, dicentes clam inter se & submissâ voce. Marc. X. 26. Quis præsertim eorum quoque, quibus Dei gratiâ obtigerunt opes, ergo poterit salvus fieri? cum vix sit, qui divitias, queis via cœli obstrui salusque intercipi æterna ita dicitur, non appetat?**

26.

Aspiciens autem, benigno ut intuitu anxios levaret animos, Jesus dixit illis: **Apud homines hoc impossibile est, ut naturaliter vel Camelus transeat per foramen acus, vel ullus post lapsum homo, nedum suis confusus viribus opibusve,**

B 2

intret

intret regnum cœlorum, apud Deum autem omnia possibilia sunt, uti enim supernaturaliter Camelus, extensionis accidente ab ipsius substantiâ per potentiam Dei absolutam separato, per foramen acûs transire potest, quicquid etiam *arsu-
garias* ac contradictionis cœca præsertim Chamieri ratio oggan-
niat, Part. II. Panstr. lib. VI. C. VII. §. VIII. f. m. 107. a. Ita di-
ves quoque, mente per Dei gratiam immutatâ, 1. Tim. VI. 17.
18. 1. Cor. VII. 31. Phil. IV. 13. ingredi potest regnum cœlo-
rum, ut Abraham, Isaac, Jacob, David, Zachæus &c. Nec ra-
tio tantum capere potest, quantum Deus facere: Zach. VIII.
6. Eph. III. 20. *vid. Deduct. Fundament. f. 80. & Detrio P. l. Adag. p. 449.*

27.

Tunc post Juvenem sua ob retenta magis quàm vendi-
ta aut derelicta reprobatur, v. 23. respondens in omnium
nomine, uti alibi & Thomas, Joh. XIV. 5. Philippus, v. 8.
Petrus dixit ei, quantula quidem jactare infirmitatis erat,
Ecce, quæ facere juvenis detrectavit, v. 22. NOS fecimus &
reliquimus omnia, Quæso autem, mi Petre, quæ & quan-
ta reliquistis, easas piscatorias, retia, hamos, remos, contos,
& alia paupertatis instrumenta? Nec possessionem facultatum
suatum vendiderant, sed modò usum suspenderant ad tempus.
Ipsis enim adhuc fuerunt ædes, Matth. VIII. 14. IX. 10. navigia,
Luc. V. 5. vestes, Joh. XXI. 6. 7. 2. Tim. IV. 13. uxores, 1. Cor.
IX. 5. *idæ*, Joh. XVI. 32. XIX. 27. & secuti sumus Te, do-
centem, miracula edentem, omniaque sequentibus necessaria,
Luc. XXII. 31. præsertim verba vitæ æternæ impertientem,
Joh. VI. 68. Tantâ tamen beneficia adedò æstimarunt, ut pro ac-
ceptione eorum expetere mercedem & sequelam suam facere
mercenariam haud dubitarint, quærentes: Quid mercedis aut
præmii

præmii ergo erit nobis? Tam facilis est piorum quoque lapsus, 1. Cor. X. 12. Petrus & Collegæ omnia reliquerant, Christum secuti, nec tamen in hoc ævo evaserant perfecti, Phil. III. 12. Jac. III. 2. 1. Joh. 1. 8.

28.

Jesus autem dixit ipsis infirmitates condonans: Amen dico vobis benignissimè, Quod vos, non dicit Christus, quia omnia reliquistis, sed qui me in exinanitione secuti estis. subjectum ita describitur non principium consequentis præmii, utpote gratuiti, in regeneratione totius naturæ futurâ, abolito peccato & morte, quæ demùm retributio & ἀποκατάστασις πᾶσι. Act. III. 21. 2. Petri III. 13. cum sederit Filius hominis, ex hoc titulo, qui Judici tribuitur & Dan. VII. 13. Matth. XVI. 27. XXIV. 30. XXVI. 64. Gerhardus colligit, quod Christus judicium non tantùm secundùm divinam sed & humanam naturam s. in & cum humanâ naturâ ac per naturam humanam peracturus sit. vid. Extr: Judic: §. XXIX. f: m: 28. in sede Majestatis suæ s. Gloriæ Matth. XXV. v. 31. Patris Ap: III. 21. & præter omne meritum VOS non stabitis tantum ut judicandi, conf: Matth. XXVII. 11. Act. XXV. 10. sed ut judicaturi sedebitis, ceu Assessores Judici Christo proximi super XII. sedes sedi Majestatis contradistinctas, è queis tamen refulgebunt Gradus Gloriæ. Hac dodecade nec Paulus excluditur, utpote non minimus Apostolorum, nec amplius includitur Judas, cujus locum utpote invasit Mathias. De integro etiam numero sæpe dicitur, quod ad singulos non spectat. Gen. XXXV. 26. 1. Cor. XV. adde S. Eb. XI. 13. & vos filii Joh. XII. 36. ju-

B 3

dica-

dicabit non ἀντοκρατορικῶς, uti ipse Christus, Joh. V. 21 27, sed ut Assesores, applausu Ap. XV. 3. atque verbo Joh. XII. 48. ut etiam Mose dicitur accusare Joh. V. 45. XII. tribus Israel, quæ vos maxime premunt adque gentes expellent. Ob duplicem quidem Josephi portionem tribus erant XIII. solent numerari tamen tantum XII. Act. XXVI. 7. Jac. I. 1. quod tribui Leviticæ seorsim sedes non erat.

29.

Porro exprimit Christus subjectum, cui tanta promittit: Et omnis qui reliquerit domos agrè alioquin relinquendas Syr. xxxvi. 28. vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem. Divortium non quidem faciendum est, nisi ob adulterium, Matth. V. 32. in causa tamen desertionis patiendum 1. Cor. VII. 15. ut & in casu persecutionis, seductionisve impendentis, conjugio in quo fides ac bona conscientia improbe sollicitantur, præferendum. conf. Efr. X. 11. Uti rectè Chrysostomus Homil. LXV. f. h. l. *Qui dicit: Quicumque reliquerit uxorem; non simpliciter præcipit dirimenda esse matrimonia, sed, sicut in superioribus dicebat: Qui perdit animam suam, inveniet ipsam, non ut nosmet ipsos interimamus, neque ut animam nostram violenter à corpore disjungamus, sed ut religionis pietatem ceteris omnibus anteferamus: ita de uxore quoque & fratribus intelligendum est. Mihi autem persecutiones hic occultius significare videtur. Multi enim à parentibus filii, multi mariti ab uxoribus ad impietatem traherentur, quæ cum facere conarentur, ait, nec uxoris loco nec parentis habeantur.* Tom. II. f. m. 363. Gemella in hunc locum habet quoque Corn. Jansenius: *Qui reliquerit uxorem, non hoc dixit Christus, ut nuptias penitus dividat sed ut ipsi quoque conjugii præponamus & ipsum & Evangelium & regnum Dei.* Cap. C. in Concord.

cord. Evang. f. 705. b. aut filios aut agros. Nihil horum facile nedum temerè deferendum, 1. Tim. V. 8. sed in casu tantùm confitendæ fidei, quando simul retineri nequeunt, sed vel parentes, fratres, sorores, filii &c. deferendi sunt, vel Christus, tunc abdicandi sunt isti Christoque posthabendi, Matth. X. 37. Luc. XIV. 26. 33. propter non hypocrisim sed nomen meum confitendum, s. ob Evangelium Marc. X. 29. vel regnum Dei Luc. XVIII. 29. centuplum, ne pendeamus à numero, Lucas habet: *multo plura*, c. XVIII. 30. adedque in hoc seculo non tantùm duplum, uti Job, sed plus accipiet 9. f. Matth. XVI. 25. e. g. pro tugurio suo Petrus vel centum accepit ædes, queis excipiebatur exul, & Valentinianus post amissam ob evangelium militis dignitatem accepit Imperatoris Majestatem. Quin imò tot fratres, tot sorores accipimus, quot fidei consortes, conf. Matth. XII. 49. 50. Maximè verò in altero seculo vitam æternam, quâ omnes nostræ passiones ac jacturæ sunt indignæ, Rom. VIII. 18. hæreditabit, adeoque non meretur.

30.

Ne discipuli ob jacturam omnium facultatum animum plane desponderent, nec ob tam magnifica pròmissa se nimis esferrent, sed in terminis justis potiùs moderaminis continerentur, sequentem Magister adjecit gnomen & epiphonema satis quidem paradoxum: **Multi autem, non omnes, Abraham enim Isac & Jacob & multi pii quoque alii primi in hoc fuerunt seculo, suntque & in altero. Qui suâ potissimum opinione primi, nec ex sincerâ fide ac charitate fecerunt, quod fecisse jactant, cum apicem charitatis Deo debitæ attingere Christique gratiâ relin-**

relinquere omnia recusant, uti dives Juvenis, erunt ultimi, non quòd partem hæreditatis qualemcunque adepturi sint, sed quòd à forte justorum excludendi sint ceu minimi ac planè nulli Matth. V. 19. & qui opinione suâ humili ultimi i. e. qui proprio miseriæ suæ sensu contriti indignitatem suam agnoscunt, nec salutem in se suisve meritis, uti dives Juvenis ψ. 20. & Petrus ψ. 27. sed in solâ Dei Gratiâ quærunt, erunt primi i. e. post humilem Christi sequelam sessuri in thronis v. 28. vitam hæreditabunt æternam ψ. 29. Sic Judæi ceu primi facti sunt ultimi & Gentiles ultimò vocati evaserunt primi, Matth.

VIII. 11. 12. XXI. 31. 32. Luc. VII. 29. 30.

XIII. 30. XV. 7.

F I N I S.



Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katherina

St. Margaretha

St. Elisabeth

St. Anna

St. Lucia

St. Apollonia

St. Helena

St. Katharina

St. Dorothea

St. Gertrud

St. Hildegard

St. Mechthild

St. Margaretha

St. Elisabeth

St. Anna

St. Lucia

I, A

